



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Quæstio secunda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Ientaculi secundi

Apostoli, doctores, protectores, &c. pro gloria propria, sed pro gloria filii Dei. Habes ergo summarie ex verbis Apostoli totam Euangelii materiam, quam intendebat Romanis proponere.

**A**D ea quæ tanquam difficultantia materiam inducta in principio sunt, non est confutando, sed explanando summarie dicendum quod licet non admittatur quod qui refert filium Dei absolute, ut predestinatus sit filius Dei absolute: admittitur tamen ut qui referat filium Dei factum secundum carnem ex semine David: hoc est filium Dei ut est filius hominis. Nec est inconueniens ut illa triplicitas relatiui sic ordinetur ut semper crescat, referendo immediate antecedens, in quo etiam prius antecedens clauditur: hoc est ut primum qui referat filium Dei: secundum qui referat eundem factum secundum carnem: tertium verò per quem, referat eundem non solum factum secundum carnem, sed predestinatum &c. Nec inconuenit diuersas eundem textum habere expositiones etiam secundum sensum literalem: quoniam auctor sacre scripturæ est spiritus sanctus: qui plures simul sensus intendere poterit. Vnde autem varietas ipsius textus emerferit, non apparet. Quod enim ex translatione non contigerit, manifestat diuersitas textus etiam apud Græcos. nam apud Vulgarium legitur predestinatus, & apud Originem, destinatus. Vt cunque sit textus verificatur utroque modo: ut patet ex dictis. Hæc de prima quæstione.

**C**irca secundam quæstionem de verbis Ioan. Qui non ex sanguinibus &c. ambiguitas occurrit primo an vna & eadem generatio negetur per tres negationes, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: an singulis negationibus respondeant singule generationis. Nam si vna eademque generatio per omnes negatur, inutilis videtur



## Quæstio secunda.

tur multiplicatio tot causarum . Ad quid enim opus est miscere in Euangelio naturalem hominum natiuitatem prouenire non solum ex sanguinibus, sed etiam ex voluntate carnis, & ex voluntate viri? Si verò tres generationis species descriptæ dicuntur, falsum apparet, ex eo quod generatio ex voluntate carnis non est diuersa à generatione ex sanguinibus . Concupiscentia quippe carnis non aliter generat filios, quàm per commixtionem carnalem maris & foeminae. Secundo, an vna eademque voluntas sit voluntas carnis, & voluntas viri. Nam si locutio ista propria est, oportet ex vna parte vnã fateri voluntatem, quum non inueniantur in toto genere humano diuersæ species voluntatum (quamuis enim animalibus appetitus multipliciter in plures species, voluntas tamen non multiplicatur) & ex altera parte nullam dicere voluntatem carnis: quia voluntas in sola ratione est, & appetitus est rationalis, & non carnalis seu sensibilis. Si verò non curandum creditur de proprietate nominum, & duæ voluntates quasi duo appetitus distinctè dicuntur (rationalis scilicet qui propriè vocatur voluntas: & sensibilis, qui appellatus est voluntas carnis) tunc sententia teneri potuit, sed lingua cohibenda erat quod procul ab Euangelista esse debet.

Tertiò, an filii Dei per adoptionem, dicantur propriè nati ex Deo, an secundum communem tantum usum quo in humanis adoptatus in filium dicitur genitus ab illo per adoptionem: qui etiam in hac littera dicitur genitus ex voluntate viri . Quod enim propriè intelligi debeat, ex eo videtur quòd nisi propriè essent ex Deo nati, non essent propriè filii Dei. Quod verò communiter accipiendum sit ex eo apparet quod voluntariè genuit nos, dando nobis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba pater.

R 5

Ad hanc



## Yentaculi secundi

**A**D hanc quæstionem dicitur quod Ioannes Euāgelista triplicem ac per hoc omnem in humanis generationis modum complexus est. Primū quo vita naturalis acquiritur, & nascuntur filii hominum ex sanguinibus viri & mulieris. Secundum, quo vota moralis consona carni, in bonis fit ex voluntate carnis: hoc est ex electione eorum quæ consonant carni. Et hinc nascuntur filii huius seculi: quorum vita est circa aut necessaria aut vtilia, aut delectabilia secundum carnem. Tertium, quo vita excellens consona rationi, in nobis fit ex voluntate viri: hoc est ex electione eorum quæ sola ratio seu virilis animus æmulanda dicitur. Et hinc nascuntur filii huius quoque seculi qui excellentes sunt, inter quos quidam heroes vocantur. Ita quod intendit Euāgelista filios Dei neque ex natura simpliciter, neque ex natura adiuncta voluntate carnis (hoc est studio ad quæcunque spectant ad carnalia) neque ex natura adiuncta voluntate viri (hoc est studio officioso ad quæcunque sunt, & esse possunt virilis perfectionis, delectationis, aut gloriæ) nasci aut fieri. Et quoniam ad aliquod horum trium spectat omnis generatio hominum secundum quodcumque esse possibile, siue ex coelo, siue ex quacunque causa naturali aut voluntaria (vt patet discurrendo & applicando) ideo hanc triplicem generationem negando, aperuit Euāgelista aliundè quærendam esse generationē filiorum Dei, quàm ex naturalibus aut voluntariis. causis creatis: & statim manifestauit quartum generationis modum, dicens, sed ex Deo nati sunt. Nec dixit, sed à Deo facti sunt (vt cæteræ creature, quas dixit, & factæ sunt) sed dixit, sed ex Deo nati sunt, docens filios Dei tali modo procedere à Deo vt mereantur dici nati ex Deo: tum propter naturalitatē in modo producendi: tum propter conaturalitatem rei productæ. Quæ quoniam altioris speculationis sunt (vt po-



## Quæstio secunda.

te à Ioanne enāgelista dicta) oportet altius inchoan-  
do aduertere bona creata distingui in quod ordines.  
Vnus est ordo naturæ, alter est ordo gratiæ. In pri-  
mo ordine sunt omnes substātię creatæ, & proprieta-  
tes, actiones, passiones, & quæcūq; quomodolibet eis  
naturaliter conueniunt. In secundo autem quantum  
ad propositum spectat, inueniuntur quædam res quę  
ita sunt de ordine gratię vt sint de genere Dei: vt cha-  
ritas, & lumen gloriæ. Bona creata primi ordinis se  
habent ad Deum vt artificata ad artificem: quæ sunt  
aliena à natura artificis: vt domus, arca, nauis, & alia  
huiusmodi testantur relata ad suos artifices. Chari-  
tas autem & lumen gloriæ quæ supremum tenent  
locum in secundo ordine, se habent ad Deum vt  
cōnaturalia ad id cui sunt cōnaturalia: vt ea quę sunt  
secundum naturam ad naturā: sicut calere ad ignem,  
sicut moueri deorsum ad graue. Quod ex eo cognos-  
cere potes: quia nihil horum potest esse natura aut  
connaturale alicuius creaturæ creatæ aut creabilis.  
Non potest siquidem fieri aliqua creatura quæ sic  
suapte natura beata beatitudine illa quæ consistit in  
fruitione promissā nobis in cœlesti patria: vt sit sua-  
pte natura amans Deum amore charitatis, quo di-  
stinguuntur filii Dei à filiis perditionis: quoniam si  
aliquid horum posset fieri, posset esse aliqua creatura  
non indigens gratia Dei: sed ex propriis naturæ suæ  
haberet quod non posset peccare, & seipsam salua-  
re, scriptum est enim i. Ioan. iii. Omnis qui natus est  
ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in  
eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo  
natus est, & rursus cap. v. Omnis qui natus est ex Deo  
non peccat, sed generatio Dei conseruat eum. Quia  
igitur proprium est Deo esse naturaliter beatum di-  
cta beatitudine, & amare naturaliter ipsum Deū, sic  
scilicet dicta charitate: consequens est vt intelligamus

Br 3

bona



## Ientaculi secundi.

bona creata quibus constituuntur filii Dei hic quidem inchoatiue per gratiam charitatis, in patria vero completè per consummatam gratiam luminis gloriæ esse de genere diuino, & Dei se habere ad illa vt ad cognata, vt ad connaturalia, vt ad secundum naturam ipsius Dei. & propterea reliquæ creaturæ factæ dicuntur, filii autem Dei nati dicuntur. Iure siquidem nasci dicuntur, qui ad connaturalia producuntur, qui ad ea quæ sunt secundum Dei naturam eleuantur. Natiuitatis siquidem tam ratio quàm nomen ad naturam spectat. Si itaque exterminò cōsideres productionem filiorum Dei, natos ex Deo intelliges quia fiunt cognati ipsi summo Deo. Si modum quoque inspicias, idem inuenies: Dupliciter siquidem aliquid à voluntate efficitur. Vno modo absolutè: vt quum eligimus, aliquid exterius operari: vt mederi, ædificare &c. alio modo ex affectione vt quum ex odio vel amore mouemur ad aliquid. Quod procedit exterius voluntarie, dicitur fieri à voluntate. Quod procedit in nobisipsis à voluntate affecta, dicitur nasci ex voluntate, quasi naturaliter illud proueniat: quia voluntas affecta per modum naturæ operatur: habitus enim inclinat per modum naturæ: & quasi intrinseci principii rationem induit voluntas affecta, quando ex affecta voluntate simus tales: puta mites, aut iusti, aut auari, &c. Vnde Ioannes Euangelista eadem præpositione, scilicet ex: & eodem participio, scilicet nati: vsus est in singulis particulis dicens: non ex sanguinibus: non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. nam ly nati, subintelligitur in præcedentibus: Ac si replicasset: qui non ex sanguinibus nati sunt, neque ex voluntate carnis nati, neque ex voluntate viri nati: sed ex Deo nati sunt. Filii siquidem hominum nati sunt in esse naturæ ex sanguinibus, & filii huius seculi communiter nati sunt in esse

mortali



## Quæstio secunda.

mortali ex voluntate carnis, hoc est voluntate affecta  
carni: & similitur filii huius seculi egregiæ vitæ, nati  
sunt ex voluntate viri: hoc est ex voluntate affecta  
virilitati. Quorsum hæc? Vt percipias filios Dei simi-  
liter ex Deo natos. Voluntas siquidē Dei omnium quo-  
modolibet creatorum causa est: sed reliquas creaturas  
producit quasi voluntate artificis, filios verò adoptio-  
nis producit quasi voluntate affecta, utpote ad cogna-  
tos naturæ diuinæ, ad ea quæ sunt secundum natu-  
ram ipsius Dei. Naturaliter enim afficimur ad con-  
naturalia nobis. Et ex eadem radice profertur quod  
quasi principii intrinseci rationem induit in produ-  
cendo filios Dei: pro quanto tantum sapit principii  
naturalis. Ex vtraque igitur parte (hoc est ex parte  
termini & ex parte principii) quantum ad modum  
producendi tantum naturalitatis diuinæ inuenitur  
in productione filiorum Dei, ut Ioan. Euangelista ad  
hæc aperienda dixerit, ex Deo nati sum: ut ly ex, & ly  
nati, vtranque naturalitatem indicarent. Et ne hæc  
ficta putes, audi Petrum Apostolum primo cap. ii.  
epistolæ. Maxima & præciosa promissa donauit no-  
bis, ut per hoc efficiamini diuinæ naturæ consortes.  
Audi Paulum ad Rom. viii. Quos præsciuit & præ-  
destinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse  
primogenitus in multis fratribus. Vbi vides filios Dei  
in consortium diuinæ naturæ eleuatos, & ad cogna-  
tionem tantam cum Deo suos filios prædestinatos,  
ut fratres sint primogeniti filii omnino naturalis veri-  
tatis Dei. Illum siquidem Deus natura genuit verum  
Deum: nos autem voluntariè genuit, ut simus primi-  
tiæ creaturarum, ut dicitur Iac. i. Vide demum quod  
Ioannes Euangelista tanti fecit mysterium per hæc  
verba prolatus de filiis Dei, ut ne hoc impossibile cre-  
deretur, attulerit pro testimonio id quod est maximè  
supermirabile, scilicet mysterium incarnationis. sub-



## Yentaculi secundi

dit enim: Et verbum caro factum est. Tanquam diceret: Ut credas homines nasci filios Dei: scito Deū esse factum carnem, vt habes in glossa. Sunt igitur in supremo totius vniuersi gradu, locati filii Dei qui nō ex sanguinibus, neq; ex voluntate affecta carni, neq; ex voluntate affecta virilitati: sed ex Deo nati sunt.

**A**D quæ sita autem dubitādo ordinatē respondendo dicitur: & ad primum quidem quod tres generationes excludantur per hāc triplicem negationem: & quod generatio ex voluntate carnis non appellatur hic generatio qua fiunt homines secundum esse naturæ: sed qua fiunt secundum esse morale ex voluntate affecta huiusmodi carnalibus: quales communiter emergunt filii huius seculi ex huiusmodi affectibus: alii prudentes rectores, alii negotiatores, & id genus reliqui. Ad secundum verō quod hic est sermo de voluntate propriē: & vna ponitur voluntas secundum substantiam, duæ autem secundum affectum. Voluntas siquidem vna & eadem secundum se est quæ est carnis & viri: sed geminatur propter diuersas affectiones, altera ad ea quæ virilis excellentiæ sunt: & vocatur voluntas viri: altera ad ea quæ carnalis necessitatis, utilitatis, aut declarationis sunt & vocatur voluntas carnis. Ad tertium autem, quod sermo Euangelistæ est de natiuitate propriē: quantum tamen suffert subiecta materia. Vt enim ex dictis aliqualis coniectura habere potest: non fiunt & sunt filii Dei adoptiui, vt sunt & fiunt filii adoptiui: hominum, sed eleuantur in consortium & cognationem diuinæ naturæ. Et propterea Ioannes Euangelista quum dixisset, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: curauit tanto studio aperire modum quo fiunt filii Dei. Et post tot negatiuas manifestauit modum: scilicet quod ex Deo nati sunt. Dixit autem notanter posse coniecturam nunc haberi: quia idem Ioannes dicit;



### Quæstio tertia.

dicit: Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, quum apparuerit, similes Deo erimus. Hæc de secunda quæstione.

**C**irca tertiam quæstionem de verbis Apostoli: (Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?) difficultas occurrit, ex eo quod sermo ille est vel de reprehensibili, vel de laudabili baptismo. Nam si de vituperabili baptismo, quo quidem forte baptizabatur pro cõsanguineis defunctis sine baptismo: ita quod semel baptizabantur pro salute propria: & iterum baptizabantur pro proximis suis defunctis sine baptismo, erroneè putâtes baptizari posse vnum pro alio: Si de hoc inquam erroneo baptismo loquitur Apostolus, infirmum valde argumentum ad persuadendam resurrectionem mortuorũ assumit? dum ex fide & spe quam habent de resurrectione mortuorum isti qui baptizantur pro proximis defunctis, arguit quod mortui resurgent. Nam facillima & in promptu est confutatio huius argumenti: respondendo quod quemadmodum factum istorum est vanum, ita & fides ac spes eorum: ita quod argumentum hoc sumi ex hominũ fide ac spe vana non oportet aliunde monstrare, quàm ex proprio facto quo baptizantur pro aliis. Ex hoc enim quod inutiliter & vanè baptizantur pro aliis, argumentum habetur quod vana est fides & spes quam habent de resurrectione mortuorum. Si verò est sermo de laudabili baptismo, apparet quod oportet incurrere alteram duorum, inconuenientiam: scilicet vel æquiocationem, vel improprietatem. Nam si exponitur pro mortuis, id est operibus mortuis, quæ sunt peccata (iuxta illud ad Hæbreos ix. Sanguis Christi emundabit ab operibus mortuis) incurritur æquiocatio: Nam in alia significatione sumitur, quum primo

R. 4

dicitur.